quia dum ille ad fidem palpando reducitur / Nostra mens omni
dubitatione postposita in fide solidatur; Sic quippe discipu-
lum post resurrectionem suam dubitare p̄misit / nec tamen in
dubitatione deseruit; Sicut ante natiuitatem suam habere
mariam sponsum uoluit / qui tamen ad eius nuptias non peruenit.
Nam ita factus est discipulus dubitans & palpans testis uere
resurrectionis · sicut sponsus matris fuerat custos integerri-
mæ uirginitatis; Palpauit autem & exclamauit & dn̄s m̄s
d̄s m̄s dicitur ei; quia uidisti me credidisti · Cum paulus apos-
tulus dicat; Est autem fides sperandarum substantia rerū
argumentum non apparentium; Profecto liquet quia fides
illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt;
quæ & enim apparent iam fidem non habent · sed agnitionē;
Dum ergo uidit thomas · dum palpauit · cur ei dicitur ·
quia uidisti me credidisti; Sed aliud uidit aliud credidit;
A mortale quippe homine diuinitas uideri non potuit. ho-
minem igitur uidit · & d̄m confessus est dicens; Dn̄s meus
& d̄s meus; Uiuendo ergo credidit qui considerando uerum
hominem · hunc d̄m quem uidere non poterat exclamauit;
Lætificat ualde quod sequitur; Beati qui non uiderunt
& crediderunt; In qua nimirum sententia nos specialiter
signati sumus · qui eum quem carne non uidemus mente re-
tenemus; Nos signati sumus; Sed si fidem nostram operibus sequi-
mur; Ille & enim uere credit · qui exercet operando quod credit;
Quo contra de his qui fidem nomine tenus retinent · Paulus dicit;
Confitentur se nosse d̄m · factis autem negant; hinc iacob; ait;
Fides sine operibus mortua est; hinc ad beatum iob de antiquo
hoste generis humani dn̄s dicit; Absoruebit fluuium & non
mirabitur · & habet fiduciam quod influat iordanis in os eius;

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0044